



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 2. Rustici Voburgensis sub patibulo sepulti infamia gloriosa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Geboldus, qui cùm historiam illam haberet  
notissimam, voluit eam typis mandare, atq;  
in lucem emittere, si prouixisset. Fecit ta-  
men id Matthæus Raderus noster, prout  
eam à viris fide dignis accepit, qui rectè ad  
calcem historiæ adijcit: *Ego neque nomen, ne-  
que Calendas, aut Consules ullos, quib. hoc eue-  
nit, potui cognoscere. Nempe etas illa simplex  
rem tantùm signavit, tempora neglexit.* Ego  
verò, nec tempora quidem à scriptore ne-  
glecta arbitror, sed à lectoribus obliuioni  
tradita. Nam qui oculis suis sæpius histo-  
riam illam perlegerunt Biburgi, mihi re-  
tulerunt, licet temporum non rectè memi-  
nissent. Quia igitur ea vulgò ignota est,  
atque etiam aliquot circumstantijs omissis  
alibi restricta: quin & longè pulcherrima,  
dignissimaque, vt ad posteros transmitta-  
tur, vtique dicturos: *Deus auribus nostris* Psal. 43, 2.  
*audiuimus: Patres nostri annuntiauerunt nobis  
opus, quod operatus es in diebus eorum, & in  
diebus antiquis.* Idcirco eam hîc paulo vbe-  
riùs commemorabo, seruat is ijs, quæ Ra-  
derus compendio comprehendit.

## §. II.

*Rustici Voburgensis sub patibulo sepulti infamia  
gloriosa,*

Vobur-

Voburgum Boiariæ oppidum est perantiquum, inter Ingolstadium & Neostadium, medio fere interuallo, cis Danubium; inde medio milliari, in loco solo, villam & arma habebat rusticus, cui Deus, præter fundum & mapale, vxorem bonam, & vxor bonos liberos dedit. O quanta est sancti coniugij felicitas! Hoc coniugum par, cetera concors, in hoc vno inter se, certabat, maritusne vxorem, an vxor maritum & labore vinceret, & pietate. Itaque bono parentum exemplo, liberi quoque bene formabantur. Quo factum est, vt villa rustica, cœnobium quoddam Religiosorum, posset videri. Non ibi fabulæ aniles, non sermones noxij audiebantur, sed, vt olim, D. Hieronymi ætate, ad stiuam ipsam, ad colum, ad omnes labores, cantabatur lætum Alleluia. Hunc ipsum posset videri descripsisse Poëta, cùm cecinit:

Horatius  
lib. Epon.  
don. Ode  
2.

*Beatus ille, qui procul negotijs,  
Vt prisca gens mortalium,  
Paterna rura bobus exercet suis,  
Solutus omni fœnore:  
Nec excitatur classico miles truci:  
Nec horret iratum mare:*

*Forumq.*

Forumq<sub>3</sub> vitat , & superba ciuium  
Potentiorum limina.

Ergò aut adulta vitium propagine  
Altas maritat populos :

Aut in reducta valle mugientium  
Prospectat errantes greges:

Inutilesq<sub>3</sub> falce ramos amputans,  
Feliciores inferit :

Aut pressa puris mella condit amphoris :

Aut tondet infirmas oues, &c.

Quòd si pudica mulier in partem inuet  
Domum , atq<sub>3</sub> dulces liberos ,

( Sabina qualis , aut perusta solibus  
Pernicis uxor Appuli )

Sacrum & vetustis extruat lignis focum  
Lassi sub aduentum viri :

Claudensq<sub>3</sub> textis cratibus latum pecus.  
Distenta siccet ubera :

Et horna dulci vina promens dolio ,  
Dapes inemptas apparet :

tum verò nullus Lucrina præoptet conchy-  
lia, nullus rhombum, aut scaros. Talem er-  
go vxorem, talem vitam habuit colonus  
Voburgensis, simplicem, rectam, innocen-  
tem, beatam. Accessit pietas, cui ita dedi-  
tus erat, vt nullam rem diuinam negligere-  
ret. Ad sacrum, prima diei hora, alternos,

D d

iam

iam famulum, iam famulam misit; omnibus festis; ad officium & concionem diuini verbi, ipse iuit; domi super mensa recitans, quod audiuit in templo, atque à prandio ad vespas; diebus verò Sabbatinis, etiam ad Litanias audiendas Voburgum vsque currit. Recreatio illi, non labor, erat medi milliaris iter. Neque minùs notus fuit in foro, quàm templo. In eo enim sine litibus, sine fraude, sine mendacijs, sine periurijs, tolerabili pretio omnia vendebat. Quæ res magnam illi apud omnes beneuolentiam fecit: agebant omnes libenter cum eo; ab eo libenter emebant; vendebant ei libenter, libenter etiam cum eo colloquebantur; eoque nomen illi creuit, vt eum passim *Pium rusticum* appellarent. Huc vsque felicitas illius est narrata, & gratia, qua apud homines pollebat, dum de virtute æstimaretur, atq; ijs rebus, quas in oculis omnium faciebat.

Apud Deum, quo loco putatis fuisse? **Prou. 3. 32.** longè meliore. Nam *cum simplicibus sermone cinatio eius*. Qui quia scit, rarò homines esse gratos, sed plerumque eos plus peccare, qui plures opes ab eo acceperunt, tantò impensius hunc agricolam amauit, quantò eum vidit esse, in abundantia rerum, sanctiorem.

ctiorem. At videte mihi, qua ratione Deus eum dilexerit. Opibus bene vso opes maiores adijcere debuisset, si iudicia illius Mundo consentirent. At ille è bono voluit facere meliorem. Itaque cruces illi immisit, & luctum planè luctuosum, sed salutarem. Nam qui olim Iobo vxorem pessimam, omnibus ceteris bonis rebus ablatis, solam reliquit; huic vxorem optimam abstulit, & Oeconomam valde pretiosam. Quam ille mortem etsi sensit grauem, non tamen impatienter tulit; sed illa sancti viri verba repetijt: *Dominus dedit, Dominus abstulit; si- Iob. 1. 21;* liosque flentes consolatus, dixit: Deus vobis posthac, loco matris erit, qui vt ex Parocho audiui, ita alicubi loquitur: *Numquid Isa. 49. 15e* *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Viduitas igitur hæc, vt crux à Domino missa, suscepta, mox in bonum cessit. Nam paulò post experiri cœpit, quàm verum sit illud: *Qui sine vxore 1. Cor. 7* *est, sollicitus est, qua Domini sunt, quo modo pla- 32;* *ceat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est, qua sunt mundi, quo modo placeat uxori; & diuisus est.* Viduitate enim in occasionem maioris pietatis versa, cum liberos in timo-

re Dei educaret, eosque, vxoris loco, pro solatio haberet, ecce tibi, breui momento temporis etiam hos amisit. O dolor! filij parentes, non isti filios debent sepelire. Vergebat iam in occasum ætas, indigebat baculo senectutis; sed Deus etiam hoc illi fulcrum subduxit; nempe vt alio fortiore niteretur. Hoc enim liberorum solatio amisso, gaudioque priuatus, immò velut vinculis exolutus, viam perfectionis liberius cucurrit, totus iam virtutis, totus sui, immò totus DEI.

Primùm facultates cœpit cum pauperibus habere communes; tum etiam ætate multa, multi laboris impatiente, nihil ab agris adeptus, cœpit, aruorum loco, colere paupertatem: denique mendicatò viuens eremiticæ vitæ amore, paruo mapali contentus solus ruri degebat, si quando in templo non moraretur, quod, Simeonis instar, frequentabat. Numquam sibi ditior visus erat, quàm cum stipem ostiatim colligeret.

Itaque omnibus festis Dominicisque diebus Voburgum ibat, vbi rei diuinæ quàm religiosissimè, propter altare genibus flexis, Deo supplex intererat. Sacrificio peracto,

cto, finitaque concione, per oppidum circumibat, stipemque à ciuibus corrogabat. Alius illi panem, butyrum alius, alius oua, alij alia dabant, tantò liberaliùs, quantò maiorem de eo conceperant sanctitatis opinionem. Sed frugali facilè in totam hebdomadem sufficebat etiam modicum, si daretur. Hæc illi vita diu fuit; hæc ciuibus iam longè dandi consuetudo, qui arbitrabantur se, tota septimana, benedictionem à Deo obtenturos, si tam sanctus senex ab illis, aliquid stipis obrinisset. Putabant enim semen esse in bonam glebam sparsum, & ad manum spargentis rediturum.

Quodam Dominico die, cùm neque in templo appareret, neque, pro stipe colligenda, limina, vt solebat, circumiret, omnium sermo fuit: *Ubi est ille senex? cur ad templum & stipem non venit? An in morbum incidit? quis eum curat? quis alit?* O beatos ciues! qui non expectant, vt ab egeno quærantur, sed vltro egenum ipsi quærun; neque sinunt à se eleemosynas extorqueri, sed indagant ipsi vltro cui benefaciant! Ægrû suspicati, submiserunt, qui decumbentem viferent, offamque cum deliciaiore edulio deferrent. Qui ierant, cùm fores diligen-



ter obseratas offenderent, neque, sapius pulsatis iisdem, quisquam intus reponderet, frustra etiam multis clamoribus consumptis, Voburgum cum cibis redierunt, oppidanisque renuntiarunt, virum sanctum domo abesse, & indubiè, religionis, aut voti causa peregrè abiisse, in loco sacro celebrique, supplicatum. Ita lapsi aliquot dies. Redeunte Dominica, & rustico ad templum non redeunte, redijt & desiderium ciuium senis videndi. Quare denuò miserunt, qui eleemosynas ad eum exportarent. Verùm denuò clausis ædibus, sicut priùs, re infecta, domum sunt reuersi. Bonorum est, omnia benè interpretari; &, vt S. Chrysostronus dixit: *Sicut difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse malus est; ita difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est.* Quia omnis homo ex se æstimat alterum. Quare etiam tum Voburgenses, dixerunt: Rectè est, fortasse iterum, sicut solet, ad aliquem sanctum locum peregrè abiuit; aut remotiùs, quàm vt tam citò posset se nobis reddere. Expectatur Dominica tertia, qua vbi rursum eum abesse animaduersum est, res paulatim in suspicionem venit, fortasse miserum domi suæ solum, & omni ope destitutum mortem

tem oppetijſſe. Itaque itur à familiaribus ad eius mapale denuò, pulſatur, omnia clauſa ſilent. Communi conſenſu fores vi effringunt, intrant in conclaue interius. Ibi verò horrificum & lamentabile ſpectaculum ingredientium oculis obijcitur. Senex nimirum rigidus è tigno ſuſpenſus; neque iam tantùm formidinem aſpicientibus, ſed etiam nauſeam pariens, vt naribus compreſſis inde ſe proripere cogerentur.

Tum verò patuit, quid ſit nominis exiſtimatio humanis iudicijs fundata, quæ momento vertuntur, ventis mutabiliora. Nam quidam ſimul ac eum conſpexere, omnis prioris famæ illico obliti, hominem eum nequam appellauerunt. Quidã anteactæ vitæ memores, obſtupuerunt, admiratiq; ſunt, hoc iſti tam ſancti nominis viro accidere potuiſſe. Alij etiam cum indignatione dixerunt, *Nihil adeò eſſe opertum quod non reue-*

Matth.  
10, 26.

*letur, & occultum, quod non ſciatur:* iam tandem apparere impoſturas; palàm fieri hypo- criſin; hunc exitum ſortiri ſimulatores pietatis: Nihil tam tectè geri poſſe, quod non aliquando erumpat in lucem. Non paupertatis ſcilicet, ſed otij amore eum mendicaſſe: fœno, non butyro, alendum fuiſſe. Et ( vt

suspicio omnia in maius extollit, semperq;  
 auget temeritatem) sine dubio magum fuisse.  
 Itaque, vt Mundo innotesceret hominis  
 malitia, carnificem sibi ipsi factum, Iudæq;  
 instar desperatissimum nebulonem, ex infeli-  
 cili trabe se suspendisse. Tale iudicium erat  
 plerorumq;, nā & meliores faciliè in tristio-  
 rem sententiam tracti sunt. Recurrunt in  
 oppidum, & informis lethi feralem famam  
 ubiq; vulgant. Communis vox est, animam  
 illius iam diu apud Inferos saturatam ma-  
 lis; superesse, vt, quod desperatis debetur,  
 etiam corpori fiat. Defertur res ad magistra-  
 tum Voburgensem, qui, quod cuius pri-  
 mum occurrisset non longiùs prospicienti,  
 αὐτόχρησιν arbitratus, quasi sponte in furcam  
 isset, pendulum, & patibularium per licto-  
 rem detrahi, & in loco supplicij publico, &  
 adeò sub ipso patibulo, à vindice supplicio-  
 rum humari præcepit. Hic finis honoris,  
 hoc boni nominis sepulchrū fuit; nisi quòd  
 insuper vipereæ plebis linguæ etiam acer-  
 bas illi exequias celebrârint: pœnitere se  
 dicentes, quòd vniquam illi vel micam pa-  
 nis, aut quidquid aliud dedissent. Attenden-  
 dum deinceps, ne eiusdem farinae aut furfu-  
 ris potiùs hominibus fides tam faciliè adhi-  
 beatur:

beatuꝛ: posse pecunias & eleemosynas longè vtiliùs in alios palàm miseros, quàm in eiusmodi impostores, & hypocritas collocari. Multum temporis ijt, quo hæc tanta coloni illius, sub furca sepulti, posthuma infamia duravit; iamq; pro certo habebatur, quod fuerat temerarijs iudicijs vbiq; vulgatum.

Enimuerò supremus ille virtutum arbiter, scelerumq; vindex, qui iustis è cælo oculis mortalia respicit, non semper oppressam latere innocentiam passus, aut facinus tam atrox occultari, pariter & sanctū senem cælestibus prodigijs è suspitione sceleris absoluit, & nefandæ cædis authores prodidit. Nundinæ Voburgi appetebant, ad quas tum ingens hominum vis confluere solebat; alij vt merces afferrent, alij vt vel emptas, vel etiam inemptas auferrent; alij demum, vt à viatoribus sportulas colligerent. Erant inter hos claudi, cæci, elephantiaci, qui non secus ad illam frequentiam, atque sani concurrebant. Ex his itaq; primum orbus luminibus, dum aliena manu ductus prope patibulum transiret, vbi innocentis coloni cadauer, non pro merito cultū, inter infames noxiorum cineres sepultū

iacebat, repente cælesti vi lumina aperire, cælum & terram claris oculis intueri, & suam ipse insperatam felicitatem demirari cœpit. Secutus hunc, qui retortis sursum tibijs, ligneis pedibus vitium corrigebat; ergo etiam ipse, propter eundem locum, subito restitutus & emendatis cruribus, abiectisq; ad furcam furcis, cœpit expedite currere & gaudio simul, vt ille olim à D. Petro curatus, exilire. Accessit demum alius foeda lepræ scabie obsitus, quam & ipse præter spem omnem, & expectationem, eodem in loco diuinitus absterfit. Hæc res tam inusitata, cùm per oppidum & viciniam latè spargeretur, varios dedit sermones. Notissimi nominis erat cæcus, crebrò enim Voburgum venire consueuerat, à quo passim interrogabant obuij, vnde visum recepisset? an aliquis medicæ artis tam peritus, inter circumforaneos, ad nundinas aduenisset? aut, vt hoc hominum genus non raro facere consuevit, an ad eum vsque diem simulasset cæcitatem? Nihil horum, ait, factum est; sed insperatò ibi visum recepi, vbi alij desinunt videre in crucem acti. Idem respondit, qui antè grallis vsus, desierat claudicare: idem confirmauit, cui priùs ob  
foedam

Act. 3. 8.

foedam scabiem, in oppidum, nisi mendican-  
di causa, intrare fas non erat. Iniecit hæc  
narratio curam pluribus maiora cogitandi,  
& ex loco ipso augurandi, profectò illum  
nuper innoxium senem & rusticum non de-  
bito sibi, sed in coruorum templo tumula-  
tum. Educuntur omnes, ut locum sanitatis  
receptæ monstrent; ibi & qui cæcitatem po-  
suerat, & qui rectè gradi cœperat, & de quo  
turpes squamæ ceciderunt, vestigium ipsum  
monstrant suæ salutis. Compertum est, tu-  
mulum fuisse, in quo suspendiarius fuerat  
humatus, cuius innocentiam prodigiosæ  
sanitates palàm fecerunt.

O quàm parum refert, quo quis iaceat se-  
pulchro, dummodo anima illius in inferno  
non sepeliatur! quàm multi marmoreo in-  
hypogæo conduntur, quorum animæ flam-  
mis æternis cruciantur? quàm multi in sil-  
uis, in aquis, in ignota arena iacent, immò  
sub ipso patibulo putrescunt, quorum ani-  
ma admirabili gloria cælesti triumphat?  
Neque refert, homines de mortis, aut tu-  
muli facie iudicare: sæpe & illi à Deo do-  
centur suam corrigere temerariam opinio-  
nem. Quod etiam huic rustico euenit. Nam  
ubi intellectum est, è tumulo illius miracu-  
la.

la bullire, velut, vento mutato, nubes in contrarium eunt, ita mox omnium sermones iudiciaque sunt in diuersum conuersa. Rursus enim per hæc miracula, reuiruit estimatio sanctitatis. Itaq; in totis nundinis, nullus ferè sermo, nisi de sene: illi luculentam in sepultura iniuriam factam; illum pi-um, Deo charum fuisse; satis id prodigijs declarari; non tumulo ascribi posse eas sanitates, sed tumulato: Iustum DEVM esse, qui hominum innocentiam, suo tempore, patefaciat, nomenque sanctorum illustret, quod hominum maledicentia obscurauit. Tametsi autem suspensus, & desperato similis, laqueo extinctus inuentus sit; multa tamen eiusmodi, sine scelere, euenire; nam solitarios sæpe, sub finem vitæ perturbationibus obrui, sæpe apud se non esse; & agere, quæ se agere nesciant. Nempe hæc diuina esse iudicia, quæ, illaudata in speciem morte, rationisque vsu deprauato, Dei maximis seruis occasionem præripiant superbiendi: multos vitio corruptos sibi manus inferre, & facere ea, quæ insani solent, ne sibi animo præsentibus, Orci insidijs fraudibusque exponantur.

Dum talia passim in oppido dicuntur,  
audiun-

audiuntur, interim euenit, quod hanc vulgi coniecturā certam & manifestam ostendit. Duo fures, illis ipsis nundinis, dum apud mercatores in foro, artem Mercurij & suam exercent, & quinque digitis emere conantur, quæ alij precio præstinare consueuerunt, à magistratu comprehensi, atque in vincula amandati sunt. Hi è custodibus carceris audiunt, quæ cæco, quæ claudo & elephantiaco, proximè patibulum, sub quo insons ille conditus erat, contigissent, quæque passim in vrbe de illius vita, deque morte, ancipiti trutina, disputarentur; miraculo attoniti (tanta vis est conscientiæ) rem detegunt in eum diem inauditam; nempe senem nequaquam suæ necis authorem extitisse. Et quando alioqui moriendum sit in furto deprehensis, satius esse, aiunt, rectè mori, luereq; vno supplicio scelera vniuersa. Se enim, non fures modò, sed etiam, quod non rarò consequitur, latrones esse: à se rusticum illum fuisse trucidatum. Atq; vt omnem rei seriem magistratus cognosceret: Dum noctu hinc inde grassamur, inquit, exploraueramus huius senis, quantumuis inane tuguriolum, & aurum latere ex collecta largitorum manu suspicati, per-

tene-



tenebras, mapale inuadimus; refringimus postes, orantem inuenimus, & manus ad astra subleuantem; quas ab astris ad nos tendit, quando adesse armatos conspexit. Qui cælum exorauit, nos non exorauit. Inuadimus miserandum senem; vtrâque manu correptum astringimus; mortem intendimus, atque omnia vltima minamur, nisi aulam auro grauidam, & collatum sibi speculum omne prodat. Negantis, sibi quicquã eris aut argenti auriuê esse, collo funem iniicimus, & innocentissimi senis, animam, fracta gula, impiè, crudeliter elidimus; proiectoq; primùm cadauere, omnes cella angulos, stramenta, lectulum, vestes excutimus, nec hilũ tamen de pecunia, quam nullam habuerat, reperimus. Hac spe frustrati, optauissemus quidem illi vitam relinquere, apud quẽ prædẽ nihil repereramus, perpetrata tamẽ cæde, in consiliũ ijmus, quomodo nefarium scelus tegeremus, omnemq; latrocinij suspicionem à nobis remoueremus. Placuit, corpus interfecti è trabe suspendere, vti visentibus opinionem ingereremus, infelicem hominem, vitæ cædio & miseriarum, vltro sibi mortem consciuisse. Tum oppellatis intus fenestris, & reducta clau-

clausaꝫ; domûs ianuâ, profugimus. Nunc  
prô dolor, intelligimus, non modò pauperè  
à nobis occisum, sed etiam innocentem &  
sanctum. Omnino enim credimus, tres illos,  
iuxta patibulum non aliunde, sed illius ope  
curatos esse vt innocentis cædes, & no-  
strum latrocinium diuinitus proderetur.  
Hæc rei, eousq; occulti, de se ipsis sunt,  
deque sancto viro testificati, vt Deo glo-  
riam darent, pariterque & famæ alterius,  
& suæ salutis consulerent. Senatus Vobur-  
gensis Pontifici Ratisponensi, in cuius dioc-  
cesi oppidum est, prodigium nuntiat, qui  
examinatis per vicarium totius rei testibus,  
reque diligenter explorata, tandem ipse Ra-  
tispona, cum sacro sacerdotum ordine, &  
frequenti hominum concursu ad eundem,  
locum supplex processit, corpus effodit,  
Voburgum deportauit, atque in æde Xe-  
nodocheij venerabundus deposuit; vbi vir  
rusticus olim, iam celi aulicus, multis dein-  
ceps beneficijs in homines supra naturæ vim  
collatis nobilitatus, & cultus est. Parricidæ  
verò illi cum propter hoc, tum alia facino-  
ra vltimo supplicio affecti sunt. Hæc par-  
tim è Radero, partim ex alijs, qui ante Ra-  
derum historiam vel legerunt, vel fusiùs de-  
scripserunt.

§. III,